

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 18 (1904)

Artikel: De philosophia culturae [Fortsetzung]
Autor: Fischer-Colbrie, Augustinus
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761647>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 22.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE PHILOSOPHIA CULTURAE.

SCRIPSIT

AUGUSTINUS FISCHER-COLBRIE,

S. THEOL. DR., PROTONOT. AP. AD INST. PART., PRAELATUS DOM. SS.

(Sequitur. Cf. vol. XVII. p. 455.)



Cap. V.

De subiecto culturae.

Summarium: 1. Subiectum culturae possidendae. — 2. Principium generale. — 3. Bona ab omnibus et singulis possidenda. — 4. Bona ab aliquibus tantum possidenda. — 5. Bona non omnino necessaria. — 6. Oligarchismus culturae possidendae. — 7. Subiectum logicum culturae obiectivae.

1. *Subiectum culturae possidendae.* In praecedenti capite sub titulo causae culturae egimus de subiecto culturae activae; transeundum iam est ad expendendum subiectum culturae subiectivae i. e. ad eos, qui culturam possidere eiusque bonis frui debent; tandem agendum erit de subiecto culturae obiectivae seu de subiecto illo logico, de quo cultura praedicari debet.

Cuilibet inspicienti primo obtutu clarescit, diversos possessores pro diversis bonis culturae debere assignari. Certe enim non omnes debent esse subiecta scientiae assyriologicae vel auctoritatis politicae vel virtutis paupertatis voluntariae, dum e contra omnes deberent possidere panem quotidianum corporis et animae. Distinguendum igitur omnino est inter diversa bona culturae, si responderi debet ad quaestionem, a quonam debeant bona culturalia possideri.

2. *Principium generale* huiusce distinctionis petendum est a fine culturae. Finis autem hic est, ut a) omnis homo possit in terris ita vivere, ut aeternum suum finem consequatur et b) ipsum genus humanum divinas perfectiones scientiae et potentiae et sanctitatis quo perfectius imitetur.

Quo duplici fine attento iam dicendum, trifariam dispesci debere obiecta culturae ratione suae pro hominibus necessitatis. Quae tres classes sunt

primo bona ab omnibus et singulis individuis necessario possidenda, seu bona individualiter necessaria;

secundo bona ab aliquibus tantum individuis possidenda, sed in favorem ceterorum; quae vocare licet bona socialiter necessaria;

tertio bona, quae nullatenus sunt necessaria, sed tamen si ab aliquibus possidentur, ad ornatum eorum vel etiam totius societatis conferunt; quae appellari possunt bona culturae supererogatoria.

Quas tres obiectorum culturae classes in sequentibus definire et parumper specificare iuvat.

3. *Bona ab omnibus et singulis possidenda* generatim sunt ea, quae omnino necessaria sunt singulis ad finem ultimum consequendum et ad vitam terrenam sustentandam. Sunt igitur partim spiritualia, partim materialia.

In specie vero sunt

a) Ea doctrina theoretica religiosa, quae necessaria est ad vitam honeste transigendam.

In statu naturae purae haec complecteretur cognitionem existentiae et attributorum Dei et immortalitatis animae; in ordine vero supernaturali complectitur ea, quae secundum mentem Ecclesiae ab omnibus scienda sunt necessitate medii et necessitate praecepti.

b) Tantus gradus bonitatis moralis, quantus ad finem ultimum consequendum requiritur; qui gradus de facto est possessio gratiae sanctificantis.

c) Tanta bonorum oeconomicorum copia, ut singuli possint vitam suam corporalem victu, vestitu, habitaculo sustentare. Ad quod in plerisque requiruntur quaedam laborum productivorum cognitiones et artes, pro vere pauperibus laborare nequeuntibus vero requiritur in ditioribus misericordia.

Unde patulum est, neminem mortalium vere „cultum“ censi debere, qui aut verae religionis aut gratiae sanctificantis possessione caret; pessima enim macula animae suae est impacta. Item defectus est in omni humana particulari societate, si vel unicus aut vera religione aut gratia sanctificante destitutus in ea invenitur. Item defectus est culturae alicuius societatis, si tantus est in ea pauperum numerus, ut misericordia eis sublevandis impar evadat, aut si tam exigua est in illa misericordia, ut ne vere pauperibus quidem succurrat.

4. *Bona ab aliquibus tantum possidenda.* Bonorum individualiter necessariorum aliqua fere nemo, alia autem solummodo rarissimus quisque attingeret, nisi per alios iuvaretur. Hoc igitur singulorum per alios iuvamen est item omnino necessarium quoddam culturae humanae elementum, quod in institutionibus socialibus consistit. Haec igitur cum suis necessariis attributis bona quaedam culturalia constituunt, quae debent pro ceterorum bono in aliquibus residere. Quaeve bona socialiter necessaria appellari queunt.

In specie iuvari debet individuum per alios:

a) in aetate infantili, dum nutritur, protegitur, educatur, eruditur per familiam (et resp. scholam)

b) per totam vitam, dum

α) in via ad ultimum finem manuducitur per Ecclesiam

β) in iuribus suis et in specie in iure proprietatis defenditur et in multis bonis consequendis iuvatur per societatem civilem.

E quibus consequenter multa sunt bona socialia, quorum alia in aliis pro communi omnium utilitate debent residere, uti auctoritas paterna, materna, ecclesiastica, civilis, militaris; virtutes sollicitudinis, charitatis, iustitiae in praepositis, pietas, docilitas, obedientia in subditis.

5. *Bona non omnino necessaria* sunt ea, sine quibus societas individuis necessarium iuvamen praestare et individua finem suum consequi possunt.

Sunt autem haec bona fere nil aliud, quam ipsa individualiter vel socialiter necessaria bona, in altiori tamen gradu vel meliori qualitate. Quae proinde, quamvis non sint necessaria, sunt tamen utilia individuo et immediate vel mediate etiam societati et culturae humanae splendorem quendam addunt accidentalemque perfectionem.

Huc pertinent, ut pauca quaedam tantum expresse nominemus: altiores sanctitatis gradus, scientiae provectae, artes florentes, vita oeconomica diversis artibus ditata et facilitata, perfectiones accidentales institutorum socialium, uti leges in minoribus etiam dispositionibus suis sapientes, e. g. circa bona familiaria, ius hereditatis, formam legislationis etc.

6. *Oligarchismus culturae possidendae.* Vera igitur philosophia statuere debet quendam universalismum et

solidarismum¹ per plurimorum bonorum culturae, quorum alia de facto ab omnibus, alia vero saltem pro omnibus debeant possideri.

Cui universalismo item opponitur oligarchismus quidam culturae possidendae, qui hoc loco rudior adhuc apparet, quam in sua forma iam supra considerata (cap. IV. 9. 10.) quoad subiectum culturae activae.

Qualis oligarchismus culturae possidendae statuitur fere ubique extra Christianismum. Ubi omnis, qui non est connationalis, eo ipso ut hostis consideratur, ubi mancipia non agnoscuntur ut subiecta iuris, iam actum est de universalitate culturae possidendae.

Porro talis oligarchismus culturae sequitur e systemate oeconomico Capitalismi seu Industrialismi, quod et theoria scholae Manchesteriensis audit et Adamum Smith († 1790) patrem profitetur. Est autem doctrina Industrialismi, omnimodam libertatem oeconomicam a statu civili concedi debere absque respectu ad id, utrum operarii pauperes per capitalistas divites prorsus opprimantur annon.

Unde practice sequi solet miserrima sors operariorum, quorum diurna merces iam „lege mercedis ahenea“ (ehernes Lohngesetz) determinatur, ita ut laborantium crescente numero minuatur merces, qua minuta depereat operariorum sanitas, familia, soboles; qua iterum minuta decrescat operariorum numerus et crescat salarium. Circulus igitur fatalis statuitur perpetuae fluctuationis saturatis et famis, moralitatis et luxuriae operariorum, omnino et quasi legitime dependens a pecuniae illimitata libertate. In quo quanta consistat humanae dignitatis degradatio et quantus oligarchismus fruendae culturae non solius oeconomicae, sed et moralis, nemo non videt.

Nude et crude, uti solet, talem oligarchiam culturae possidendae praedicat Nietzsche, docens aliquos tantum esse natos dominos, ceteros autem bestias pascuae, quibus illi possint uti et abuti pro lubitu.

Consectaria eius audiamus ex ore philosophi rationalistae iudaei, Lud. Stein:² „Was wir als hehrste Errungenschaften unserer Zivilisation preisen: unsere Hospitäler,

¹ Cf. P. Henr. Pesch S. J. in L. St. t. LIII. pp. 38 ss. et 307 ss.

² Op. cit. p. 148.

Altersversorgungen, Waisenhäuser, Blinden- und Taubstummenseinstitute, die mannigfaltigen Wohltätigkeitsformen, die sozialen Wohlfahrtsbestrebungen, kurzum alles, was die christliche Welt an die Spitze der Menschheit stellt, wird von Nietzsche grundsätzlich verneint, entwertet, in sein Gegenteil verwandelt. Denn alle diese Bestrebungen sind Ausfluß der demokratischen Grundtendenz des Christentums, die auf das Wohl der Masse gerichtet und auf das Glück der großen Zahl abgestellt ist. Hier steckt nach Nietzsche das Grundübel. Was liegt am Glück der Masse? Glück heißt nicht Zufriedenheit, sondern mehr Macht; nicht Friede, sondern Krieg; nicht Tugend, sondern Tüchtigkeit (Tugend im Renaissancestil, virtù, moralin-freie Tugend). Diese aber ist das Vorrecht der Wenigsten. Demokratie ist daher sozialer Sündenfall. Nur die Auserlesenen, von der Natur dazu Ausgestatteten und Begnadeten sollen glücklich sein, sollen ihre Macht rückhaltlos auslassen — der Rest ist Kulturdünger.“ „Die Schwachen — audet ipse Nietzsche¹ — und Mißbratenen sollen zugrunde gehen: erster Satz unserer Menschenliebe. Und man soll ihnen noch dazu helfen.“

Lex naturalis mentibus et cordibus humanis inscripta multo melius has blasphemias refutat eructationes, quam quaevis nostra posset tractatio.

7. *Subiectum logicum culturae obiectivae.* Quaeri potest, quodnam sit subiectum bonorum culturalium in humano genere existentium, si illa bona sub unitatis cuiusdam ratione considerantur? Et alii quidem ad hanc quaestionem respondentes arbitrantur, subiectum huius culturae esse societatem in abstracto, alii vero statuunt subiectum esse societatem in concreto.

Sensus huius distinctionis: societas in abstracto est ipsa illa institutio, quae ab individuis efficitur; seu vinculum illud auctoritatis ex una et subiectionis ex altera parte, quod omnia societatis membra in unum corpus coniungit. Societas vero in concreto sunt ipsa membra, quatenus tamen in societatem coadunata considerantur.

Resp.: Societas in abstracto spectata non potest esse subiectum culturae humanae; hoc subiectum potius sunt individua, ut in societatem humanam coadunata, seu societas in concreto.

¹ Antichrist p. 218.

Quod in lumine philosophiae spiritualisticae nulli potest esse dubio obnoxium.

Si enim subiectum culturae esset abstracta societas, culturae pars principalis, imo ratio formalis esset perfectio institutionum socialium. At hoc falsum esse nemo non videt. Multo enim nobilior est perfectio ipsius finis, quam perfectio medii; atqui individui perfectio (terrena et sempiterna) in re culturae est finis, perfectio institutionum socialium vero nil aliud est, nisi medium ad studium perfectionis in individuis protegendum et defendendum; et proinde ratio formalis culturae multo magis consistit in perfectione singulorum individuorum, quam in perfectione institutionum socialium v. g. iuridicarum.

Qui igitur — uti defensores omnipotentiae status — potiores culturae partes in perfectione societatis in abstracto consideratae consistere arbitrantur, non possunt non eam ad vitam terrenam ita referre, ut a fine aeterno prorsus ac positive praescindatur; societas enim terrena cum vita corporis exspirat; et si ea est pars culturae formalis et proinde independenter dirigens, iam in cultura ratio vitae aeternae positive est negligenda. Secundum hos igitur ille populus est cultissimus, qui habet gubernii formam ingeniosissime constitutam, ad provectionem laborum oeconomicorum, scientificorum, artisticorum exactissime fungentem; moralia vero bona consequenter in hoc systemate eatenus tantum aestimabuntur, in quantum sunt media conservandae publicae tranquillitatis: religio nil nisi surrogatum carceris, sacerdos nil nisi vices gerens lictoris.

Nobis autem, qui finem sempiternum uniuscuiusque individui agnoscimus et societatem propter homines non vero homines propter societatem esse scimus, certum est, subiecta culturae esse individua, attamen in societatem coadunata.

Praeterea theoria de societate in abstracto ut subiecto culturae facile in oligarchismum culturalem decurrit; ita ut dicatur sufficere, si bona adsint in quadam societate et non multum referre, utrum ab omnibus, an paucis tantum membris possideantur. Nobis e contra constat, gradum culturae alicuius societatis non adeo a summa totali bonorum possessorum, sed multo magis a possessione bonorum individualiter necessariorum (cf. n. 3.) per quam plurima individua dependere.

Cap. VI.

De mensura culturae.

Summarium: 1. Conspectus dicendorum in capp. VI.—IX. — 2. Cultura essentialis et accidentalis. — 3. Cultura absoluta et relativa. — 4. Mensura culturae. — 5. Praecipua stadia possibilis. — 6. Status silvestris. — 7. Barbaries. — 8. Cultura κατ' ἐξοχήν. — 9. Huiusce mensura. 10. Hypercultura. — 11. Enumerantur culturae historicae.

1. *Conspectus dicendorum in capp. VI.—IX.* — Quaestiones magni ponderis discutiendae nos manent circa genesim et progressum culturae generis humani, quae proinde potissimum ad culturam activam referuntur. Movetur enim circa hanc activam culturam quaestiones, utrum eius historia saecularis versetur in linea iugis progressus, an et in quantum sit evolutio eius libera, ad quod iterum sciendum est, quid ipse progressus sit, ad quod responderi nequit, nisi habeatur culturae quaedam vera mensura. Via analytica progressuris agendum nobis erit de culturae mensura (cap. VI.) de eius contingentia (cap. VII.) de eius progressu (cap. VIII.) de eius defectibilitate (cap. IX.). In praesentiarum igitur de mensura et stadiis possibilibus culturae est sermo instituendus.

2. *Cultura essentialis et accidentalis.* E dictis capp. III. et V. patet culturae bona dispesci in necessaria et utilia; possessio bonorum horum et illorum in maiori et minori gradu non unam proinde, sed duas potius scalas constituit; non enim commensurari possunt bona necessaria (v. g. vera religio) cum bonis mere utilibus (v. g. arte sculptoria); nec proinde in una scala culturae maioris vel minoris possunt consistere phases concretae culturales metris tam disparatis mensuratae. Distinguimus igitur culturam essentialem, quae consistit objective in bonis necessariis (subjective vero in eorum possessione) et culturam accidentalem, quam constituunt bona illa cetera, resp. illorum possessio.

3. *Cultura absoluta et relativa.* Cultura, quam essentialem diximus, caractere fulget etiam absoluto, nulli mutationi pretii secundum loca et tempora obnoxio. Ita vera religio, praecepta moralia legis naturalis, necessitates physicae pro vita corporis sustentanda sunt res absolutae, valent omni loco et omni tempore, constituunt elementa culturae absoluta et universalis.

Cultura e contra accidentalis characterem prae se fert relativum, a conditionibus hominum, locorum et temporum

multum dependentem; aliud e. g. est ideale pulchritudinis architectonicae sub climate calido et aliud sub gelido; diversae conditiones particulares prosperitatis agriculturae in regione australi et boreali, montana et plana; alia forma gubernii conveniens alii characteri psychologico diversarum nationum; imo intra doctrinas morales verae religionis diversa idealia sanctitatis convenientia diversis conditionibus socialibus, nationibus, aetatibus.

4. *Mensura culturae* secundum praedicta nec una est, secundum quam omnia stadia culturae dimetiri et appreciare possemus, nec in accidentalibus et relativis semper certa est, nec generatim in casibus concretis facile applicatur.

In appreciando igitur aliquo statu concreto culturali ante omnia separatim duo metra sunt applicanda, metrum inquam culturae absolutae et metrum culturae relativae. Et tunc tantum iuste iudicabimus de cultura cuiusdam aevi vel populi, si istas binas mensuras sollicite distinxerimus. In iusta illa statera iam saepius experiemur, aevum quoddam externa specie gloriosum v. g. victoriis, divitiis, artibus tamen non mereri locum praecipuum in historia culturae, quia adsunt magnae maculae in cultura essentiali, dum ista omnia versantur in sphaera culturae accidentalis.

Porro mensura culturae in bonis accidentalibus non semper certa est, recte ob relativum characterem horum bonorum. Ita igitur possessio unius eiusdemque boni in eodem gradu tamen potest diversi valoris et pretii esse secundum diversitatem locorum et temporum et gentium.

Nec facile est, mensuram culturae in ipsis essentialibus ad amussim applicare. Difficile enim iudicamus de unius hominis universis bonis et malis qualitatibus: quanto maior est difficultas, si iudicium ferendum est de aliquo populo vel toto aevo, cuius individua non novimus et e cuius cultura manifestationes paucas fragmentarias et superficiales ope statisticae dignoscere valemus.

5. *Praecipua stadia possibilis*. Status culturae generis humani, imo et alicuius populi imo et ipsius individui innumeris obnoxius est mutationibus, et vix per momentum in eodem statu permanet. Tantus enim est obiectorum culturae numerus, uniuscuiusque boni tot sunt gradus, possessionis eorum tam diversa potest esse intensitas, ut paene infinitae iam combinationes possessionis istorum obiectorum sint possibilis. Hinc paene infinitus phasium

culturae numerus est possibilis, e quibus innumerae phases de facto existunt vel saltem exstiterunt. Inter quas phases innumeri item existunt transitus et insensibiles fere et imperceptibiles differentiae. E quibus stadiis possibilibus quatuor tamen sunt quodammodo praecipua: status silvestris, status barbariei, status culturae κατ' ἐξοχήν, status hyperculturae, de quibus nunc in particulari quaedam dicenda.

6. *Status silvestris.* Supra ostendimus, nullam esse gentem sine omni cultura; status igitur hoc sub respectu infimus generis humani non est totalis culturae defectus, sed vera cultura, quantumvis modica. Adest enim apud ipsas gentes maxime feras quaedam cultura religiosa et moralis: adest familia; adest aliqua cultura materialis: usus ignis, instrumenta ad cibum v. g. venatione vel piscatura acquirendum; adsunt tuguria, ut protegant contra aëris iniurias, adest item initialis quaedam societas civilis vel saltem bellica. Iam statum, in quo haec sola adsunt in forma rudissima, absque sedibus fixis, vocamus statum silvestrem; populos vero in eo detentos appellamus feros; cui vocabulo congruit nomen gallicum peuples sauvages, ital. popoli selvaggi, hungar. vad népek.

Minus probandum est nomen germanicum ad designandos hos populos usitatum, nimirum Naturvölker.¹

Vocabula „natura“ et „naturale“ diversis in significationibus passim adhibentur, quas exponunt dogmatici in tractatu „de Deo Creante et Elevante“.

E quibus significationibus duae hic in considerationem veniunt: natura nimirum aut ut origo, aut vero ut essentia tamquam principium activitatis considerata. Naturale vero his correspondenter accipitur aut in sensu historico ut „originale“ aut in sensu metaphysico ut „id, quod convenit essentiae, ab ea fluit, est pars eius, vel exigitur ab ea“.

Iam neutro horum sensuum status silvestris est homini naturalis. Non sensu historico, nam e revelatione scimus, hominem in initio non fuisse creatum tam miserum, quales sunt nunc populi silvestres; imo post lapsum quoque homo videtur habuisse culturam aliquantulum maiorem, quam est status silvestris.

¹ Cf. Alb. Weiß, Apol. des Christ. II 17¹.

Nec in sensu metaphysico est status ferus homini naturalis; e contra naturale seu conveniens homini est tendere ad culturam et habere eam.

Instabunt: Tamen conveniens fuit pro homine in initio, non habere culturam in actu, sed tantum in potentia, ergo status ferus saltem fuit sensu metaphysico homini naturalis.

Respondendum negando consequens. Non enim status ferus est mera culturae actualis altioris negatio, sed vera privatio talium quoque bonorum, quae semper actu adesse homini naturale est, ut statim patebit.

Nota enim characteristicam status silvestris est independentia individuorum illiminata, quae reddit hominem insociabilem.¹ Ob nimiam illam independentiam spirituum sequitur absentia auctoritatis civilis stabilioris; ad summum tempore belli parent cuidam duci, bello finito cessat obedientia. E defectu auctoritatis civilis profluit absentia societatis quoque civilis; ex hac item defectus securitatis pro personis et bonis.

Defectus securitatis vitae et bonorum iterum impossibile reddit ius proprietatis et agriculturam, quae impossibilitas ceterum iam ex independentia indisciplina sequitur.

Unde oritur magna miseria circa bona materialia; vitium acediae; laxati nexus familiares; occisio vel suicidium senum, qui venatione vel piscatura victum comparare non valent; crudelissima bella, ferocitas omnis generis. Quae certe humanae naturae ne pro exordio quidem historiae conveniunt.

In statu silvestri minimus est impulsus pro ineunda via progressus culturalis, ita ut fere sine mutatione possit per multa saecula perdurare. Unde videmus hodieum populos vere silvestres exsistere.²

Falsissima autem est imago, quam de statu silvestri hominum depingit J. J. Rousseau, uti cap. X. videbimus.

7. *Barbariem* praeantibus scriptoribus quibusdam Gallicis³ appellamus stadium culturae quodammodo inter-

¹ Lachaud, op. c. I, 28.

² „Im Gegensatze zu den Kulturvölkern haben die Naturvölker keine eigentliche Geschichte. Sie leben sozusagen »in den Tag hinein«, unbekümmert um die Vergangenheit und wenig besorgt für die Zukunft. Das Gesetz des Fortschrittes und der Entwicklung, das in der Natur des Menschen gelegen ist, scheint bei ihnen aufgehoben zu sein.“ Aug. Rösler, Die Frauenfrage. Wien, 1893. p. 114.

³ De Maistre, Ozanam, Lachaud.

medium inter statum silvestrem et omnino cultum.¹ Barbaries a statu silvestri differt in eo, quod iam adsint sedes fixae, uti arces, castella, urbes, pagi; exinde sequens proprietas fundi et exercitium agriculturae, aliqualis temporalis prosperitas, aliquae scientiae et artes (musica, poesis); barbaries tamen nondum est status culturae κατ' ἐξοχήν, quia deest verus ordo socialis et iuridicus et praevallet generatim violentia humanitati et iuri.

Quae violentia se manifestat:

a) In vita domestica: fortior vir est solus dominus, mulier est merx, quae emitur; adest polygamia vel saltem sola mulier tenetur ad fidem coniugalem servandam; „adulterium in sola nupta committitur“. Mulier plane occidi potest: vidua cum viro mortuo comburitur. Infantes occidi possunt; filii adulti e contra patrem senem et debilem possunt perimere.

b) In vita sociali: classes ab invicem omnino distinctae; servi sine omni iure; emuntur, venduntur, mutilantur impune et occiduntur. Lites plerumque duello terminatae, acsi fortior armis esset eo ipso potior iure; ius talionis, inimicitiae hereditariae. Oppressio in ipsa religione, uti cum v. g. medio aevo princeps barbarus ipse tenuit episcopatus aut vendidit belliducibus suis aequae barbaris, violentis, luxuriosis. Hinc saeculare certamen Ecclesiae mediæ aevi pro sua libertate contra simoniam et incontinentiam erat verum „certamen culturae“ contra barbariem.²

c) In vita oeconomica labor despicitur non tantum ut molestus, sed ut inglorius et probrosus. Hinc fortis et validus non laborat, sed debiliores (mancipia, mulieres) ad eum cogit.

d) In ipsa vita ideali virtus habetur fere sola fortitudo vix habito respectu ceterarum; in artibus repraesentatur ut plurimum vis ferox materialis nervorum (typica est hic ars Assyriorum).

8. *Cultura κατ' ἐξοχήν* est ille culturae humanae status, in quo violentia barbariei per virtutes iustitiae et charitatis universaliter agnitas quam maxime superatur. Cuius culturae characteristicon igitur est vinculum perfectum sociale, unde eam et civilitatem (gall. civilisation, ital. civiltà,

¹ De Maistre: „Le barbare est une moyenne proportionnelle entre le sauvage et l'homme civilisé.“ Cf. Lachaud o. c. I, 27.

² Lachaud, o. c. pp. 45—56.

hispan. civilisación) merito appellamus, uti cap. I, n. 4 monuimus. Quae cultura κατ' ἐξοχήν nunquam in his terris perfecta est ita, ut iam crescere nequeat. Nemo tam sanctus est, ut non possit adhuc sanctificari,¹ nemo omniscius, nemo perfecte beatus: et si non homo individuus, eo minus humanus quidam coetus.

Perfectionis terminus est ipse Deus infinitus, secundum illud Servatoris: „Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.“² Ad quem terminum potest humanum individuum et humana societatis magis magisque appropinquare, nunquam autem valebit ad eum plene pertingere.

Quae maior minorve ad terminum appropinquatio certe mensuram quandam admittit.

9. *Mensura culturae κατ' ἐξοχήν intellectae* generatim igitur est assimilatio ad Deum. Quo similior in sciendo, valendo, sancte operando quis est Deo, eo maior eius cultura. Quod generale principium ad diversos culturae significatus et diversa eiusdem elementa venit applicandum.

Pro individuo terminus culturae, ad quem tendere debet, est imitatio Christi. Homo debet fieri alter Christus. Crescat in eo Christus et deficiat antiquus Adam. „Illum oportet crescere, me autem minui.“³

In societate quo maior esse debet cultura obiectiva et subiectiva.

Cultura obiectiva maior est, ubi plura bona culturalia adsunt: magna eruditio, magna sanctitas, bonorum materialium copia, institutiones sociales perfectissimae.

Cultura subiectiva maior est, ubi copia bonorum culturae obiectivae inter membra societatis ita est divisa, ut necessariis nemo careat, supererogatoriis quo plures fruantur.

10. *Hypercultura* non est nimia cultura *simpliciter*; talis enim exsistere nequit, cum cultura in infinitum tendere debeat et ita nunquam sit simpliciter nimia.

Sub eo nomine potius intelligimus tale nimium in bonis culturae accidentalibus et relativae (cf. num. 2. et 3.)

¹ Apoc. 22, 11.

² Matth. 5, 48.

³ Ioan. 3. 30.

quod nocet acquisitioni bonorum essentialium et absolutorum, vel aliis verbis perturbationem recti ordinis in producendis bonis culturae, qui rectus ordo a necessitate bonorum illorum debet repeti.

Talis hyperculturae testes coevi sumus in bonis materialibus naturae pervestigandae, possidendae, fruendae.

Pervestigatio naturae in scientiis physicis adeo totam aliquorum mentem replet, ut iam videantur sensum metaphysicum (ut leni expressione utamur) amisisse. Porro tantus est physicorum materialisticorum et tam parvus in comparatione verorum philosophorum numerus, ut opinio publica nostrae societatis miasmatis materialismi multum exinde inficiatur. Non nimiae igitur sunt simpliciter scientiae illae naturales; sed sunt nimiae relative ad cerebra eas profitentium et nimii sunt physici relative ad philosophos et theologos.

Cogitabilis esset hypercultura etiam in sphaera bonorum accidentalium et relativorum ordinis moralis; talis casus esset, si v. g. tota quaedam provincia vellet vitam amplecti contemplativam et nemo iam superesset ad necessarios labores saeculares.

11. *Enumerantur culturae historicae.* Genus humanum plures produxit civilitatis flores, qui stadio quod „culturam κατ' ἐξοχήν“ nuncupamus, adnumerari aliquatenus saltem merentur. Quarum culturarum quaedam sunt quodammodo solitariae, ita ut in populo aliquo ortae eiusdem tantum perfectionem moliantur quin in alios populos notabilem quendam exercuerint influxum, aliae autem sunt membra cohaerentia culturae cuiusdam universalis ac perennis.

Culturae solitariae sunt illae Indorum, Sinensium, Iaponensium, Indianorum quae erat Americae ante huius per Europaeos detectionem.

Cultura universalis et perennis est illa, quae in rebus materialibus per Aegyptios et populos Asiae anterioris fundata, in philosophia et artibus a Graecis, in iure et politica a Romanis, in moribus directe et in omnibus aliis indirecte per Christianismum perfecta est et totum iam mundum in dies magis occupat et illustrat.

Cap. VII.

De contingentia culturae.

Summarium: 1. Ingressio. — 2. Sensus quaestionis. — 3. Cultura generatim est necessaria. — 4. Status culturae concrete existens est prorsus contingens. — 5. Coefficientes historiae. — 6. Gens. — 7. Ambitus. — 8. Momentum. — 9. Determinismus philosophicus. — 10. Determinismus materialisticus. — 11. De philosophia historiae.

1. *Ingressio.* Subiectum culturae activae diximus aliquatenus saltem esse totum genus humanum, quod per innatum desiderium boni ad actiones innumeras impellitur; quas actiones culturam activam appellavimus.

Iam labor hic generis humani primo statim obtutu apparet aliquomodo necessarius, utpote procedens e necessario desiderio boni, quod se inevitabiliter in aliquos actus exserit.

Et hinc emergit quaestio de necessitate seu contingentia culturae.

2. *Sensus quaestionis* igitur est, utrum posita existentia generis humani etiam cultura eius produci debeat necessario, annon.

Necessitatem hic eo fere sensu intelligimus, quo occurrit in theologia de bonis operibus: haec Lutherus falso asseruit adesse necessario non necessitate aliqua praecepti, sed necessitate praesentiae, id est hominem iustificatum interno quodam impulsu ex necessario ponere.

Et haec quaestio moveri potest

primo de cultura in abstracto seu generatim qualicumque cultura, ita ut quaeratur, utrum genus humanum liberum fuerit in producenda cultura aliqua, aut nulla — an non;

secundo de cultura in concreto de facto existente, ita ut quaeratur, utrum genus humanum debuerit recte hanc culturam producere, an potuerit efficere etiam aliam;

tertio de generali directione evolutionis culturae; ita ut quaeratur, utrum libertas electionis adsit tantum inter vias culturae semper ad perfectius tendentes, an vero adsit etiam libertas contrarietatis pro augenda aut minuenda cultura, pro progressu et regressu, pro bono et malo.

De prioribus duabus quaestionibus in praesenti, de tertia vero in utroque sequenti capite agemus.

3. *Cultura generatim* seu in abstracto est prorsus necessaria. Id demonstramus:

a) *a priori*. Innatus stimulus boni hominem necessario ad agendum impellit; porro ratio hominis saltem persaepe in delectu bonorum non errabit, sed activitatem humanam ad vera bona prosequenda diriget. Et ex hac prosecutione efficaci verorum bonorum necessario quodam saltem minimum culturae enascetur.

Obiecta huius culturae minimalis haec fere esse debent:

α) cognitio aliqua numinis et legis moralis naturalis saltem in principalioribus suis praeceptis, ad quam cognitionem ratio humana ultro fertur;

β) institutio societatis civilis;

γ) cognitio theoretica et practica quaerendi cibi et struendi habitaculi;

δ) propagatio elementorum culturae acquisite in posterum.

Haec omnia necessitate illa, quam moralem vocamus, e natura humana fluunt. Quae demonstratio *aprioristica* etiam

b) *a posteriori* per historiam pro tempore praeterito et per ethnographiam pro praesenti confirmatur. (Cf. cap. IV. n. 8.)

4. *Cultura in concreto*, id est status quidam particularis culturae de facto existens, est omnino contingens, utpote enatus ex actibus humanis, quorum multi erant omnino liberi.

Initium enim sumere debuit cultura ex actibus humanis partim necessariis partim liberis.

Necessarium erat homini cibum manu et arte quaerere vestimenta conficere, tuguria struere, societatem inire.

Liberum tamen erat homini hanc vel illam regionem ingredi, hoc vel alio modo cibum quaerere, cum his vel illis foedus societatemque inire.

Ulteriora fata culturae constituuntur item actibus aliis necessariis, aliis liberis, aliis item, qui cum necessitate quidem ponuntur, sed hypothetica tantum, scilicet fundata in prioribus actibus liberis; et tandem adhuc aliis, qui magna cum probabilitate e prioribus actibus consequuntur.

Ita e. g. necessitas hypothetica est, ut populus boreales regiones inhabitans magis de arte se vestiendi et

habitacula struendi sollicitus sit. Necessitas adest, fundata in climate; sed hypothetica tantum, quia resultat e libero actu antenatorum, qui in illam regionem migrarunt.

Exemplum casus magnae probabilitatis est, quod scientiae et artes semel inventae non amplius intereant, sed per successores inventientium ulterius exercentur.

Processus igitur evolutionis culturalis componitur actibus necessariis in lege quadam physica fundatis, porro actibus prorsus liberis, tandem actibus, qui aut cum necessitate hypothetica aut cum libertate valde minuta ponuntur, quia per praecedentes actus liberos aut cum certitudine aut maxima cum probabilitate praedeterminati sunt.

Unde apparet, permagnum adfuisse campum libertatis generis humani talem aut aliam culturam producendi; nam etiam subsequens quaedam moralis necessitas aliquorum actuum posteriorum est prorsus conditionata; fundata scilicet in actibus prioribus prorsus liberis. Qui priores actus liberi si positi non fuissent, nec illa subsequens moralis necessitas adesset et historia generis humani culturalis alias ingressa fuisset vias.

5. *Coëfficientes historiae.*¹ Circumstantias illas, ope quarum actus liberi antenatorum necessitates vel maximas quasdam probabilitates pro subsequentibus inducunt, vocamus coëfficientes historiae.

Qui coëfficientes historiae reducuntur ad gentem, ambitum, momentum.

6. *Gens* (la race) unaquaeque habet peculiarem quandam characterem nationalem, per antecessores actibus repetitis acquisitum et in posteros vi haereditatis physiologicae et exempli transmissum. Qui character nationalis maiori saltem parti individuorum ad eam gentem pertinentium imprimit proclivitates quasdam seu dispositiones ad certum agendi modum, v. g. ad fortitudinem bellicam, ad assiduum laborem in agricultura, ad scientias speculativas, ad fraudes in mercatura et usuram committendas et similia.

Per quas dispositiones posterorum in actibus praecessorum fundatas tamen illorum libertas non tollitur; sequitur tantum a) maior facilitas in certo actionum

¹ Cf. de his H. Benigni, *Historiae ecclesiae Propaedeuticae Romae* 1902, pp. 55—60.

genere bene aut maior tentatio male agendi; et hinc b) maior etiam probabilitas, nullatenus autem certitudo, determinatae cuiusdam actionis; tandem c) in maiori individuorum eius gentis numero maior etiam numerus talium factorum, qui per statisticam quae dicitur moralem debent stabiliri.

7. *Ambitus* (le milieu, l'ambiente) est circumstantia proprie dicta, seu omnis res seu eventus hominem circumdans et quasi „ambiens“, medium (milieu) illud climatis, loci, personarum, in quo quis vivit.

Qui ambitus est partim materialis, partim moralis.

Ambitus materialis seu physicus est iterum climaticus et topologicus (telluricus).

Climaticus ambitus consistit in frigido vel temperato vel torrido climate (temperatura) quod in aliqua regione dominatur. Eius influxus in populis non parvi est momenti: populi in frigidis regionibus ad vitam magis segregatam et domesticam coarctantur, pinguiori cibo et validiori potu indigent; hinc sunt taciturniores et laboriosi, quaerunt commoditatem in domo, non tamen abhorrent ab alcoolismo. Populi climatis calidi amant forum, tenuiori cibo et praeter aquam pauco potu contenti, tanto labore ac boreales nec indigent, nec apti sunt.¹

Topologicus ambitus consistit in regione montana aut plana, maritima aut mediterranea (continentali).

Qui ambitus item maximum in vivendi rationem populorum exercet influxum. Montana regio ad laborem adigit et habilitat, plana ad commoditatem et indolem pacificam inclinatur; maritima ad communicationem mercium et negotiationem invitat, continentalis paucioribus contentum retinet. Externa negotia quaerentes facile mores aliorum recipiunt, in proprios fines magis inclusi morum paternorum tenaciores sunt.

Ambitus moralis est item duplex: generalis et peculiaris.

Generalis ambitus respicit totam gentem, quo pertinet gubernium, institutiones et mores nationales, religio communis etc.

Peculiaris vero respicit familiam, qua quis ortus educationem, quam quis nactus est et classem socialem ad quam pertinet, seu professionem quam exercet.

¹ Benigni l. c. p. 56 s,

8. *Momentum* nil aliud est, quam ambitus chronologicus, seu aetas in qua quis vivit et connexio quarumcumque externarum circumstantiarum per accidens orta.

Quantum influxum aetas exerceat in successum laborum culturalium, tristi elegia canit epitaphium Hadriani VI. Pontificis in Aede B. M. V. de Anima: „Heu quantum refert in quae tempora vel optimi cuiusque virtus incidat.“

Nullus ambitus in genere, nec etiam ambitus chronologicus seu momentum in specie tollit libertatem actionis; minuit quidem eam vi motivorum propositorum, sed non aufert; gignit aliquam probabilitatem agendi ita et non contrarie, sed non certitudinem.

9. *Determinismus* historicus libertatem eventuum historicorum et proinde etiam evolutionis culturalis negat. Quem determinismum duplicem distinguimus: philosophicum et mere materialisticum.

Determinismus philosophicus seu metaphysicus apud antiquos philosophos fatalisticam habuit indolem et statuit omnia hominum facta Fato aeterno et immutabili necessario determinari.

Recentiores autem eius propugnatores vim determinativam coëfficientium historiae exaggerant per eosque hominem necessario determinari asseverant.

Quorum alii aliis e dictorum coëfficientium vim illam attribuunt, alii omnibus simul sumptis.

Ita alii gentem (race) urgent, et putant hereditaria transmissione psychologici characteris, qui actiones cum necessitate determinet, omnia explicari.

Quae theoria non attendit, initium differentiae inter diversos populos ita minime explicari.

Alii caractere gentilitio plane (et immerito) neglecto solas ceteras circumstantias ambientes urgent, uti Buckle; alii tandem omnibus coëfficientibus simul sumptis vim necessitantem attribuunt.

Qui omnes e falso supposito ordiuntur liberum arbitrium non existere; et e falsa praemissa falsam etiam conclusionem deducunt.

Huc pertinet theoria illa socialistica de causa culturae, quam cap. IV. n. 13. et 14. commemoravimus.

Quae statuit, individua semper per societatem (ambitum moralem generalem et peculiarem) dirigi.

Assertio haec falsa est in necessario supposito, seu negatione liberi arbitrii.

Item sistit totum genus humanum massam quandam mere passivam, in qua nemo agit et omnes aguntur; nemo influxum dat, quem tamen omnes recipiunt; tota historia est in hoc systemate machina quaedam immensa, mysteriosa quadam vi acta; resultat nil aliud, quam absurdus fatalismus aut brutus materialismus.

10. *Determinismus materialisticus* has consequentias non respuit, sed ultro deducit.

Statuitque hominem revera nil nisi machinam, motorum praecipue materialium vi electrica aut magnetica necessario actam; imo universum totum immensam machinam absque initio et absque fine, absque causa efficienti et finali.

Historiam fabulatur ambitu materiali climatico et topologico praecipue determinari, evolutionem culturalem duplici magnete famis et veneris trahi.

Ita somniantur moderni historiographi materialismo addicti; e quibus verba maxime sincera proferunt Socialistae e schola Marxiana.

E falsitate suppositi materialismi etiam falsitas huiusce determinismi consequitur.

11. *De philosophia historiae epimetron* censemus hic adiungendum, cum deterministae dicant, characterem scientificum historiae et possibilitatem philosophiae historiae ab acceptatione sui systematis dependere.

Est autem philosophia historiae scientia de causis generalibus historiae in relatione ad humani generis naturam et finem.¹

Cuius scientiae prima lineamenta satis bene iam innuit Diodorus Siculus in prooemio *Bibliothecae Historicae*;² ad quam labores pretiosos attulerunt S. Augustinus *De Civitate Dei* et Bossuet in *Discours sur l'histoire universelle*.

Primus, qui systematice de hoc themate ageret, erat Ioannes B. Vico Neapolitanus (1668—1744) in suo opere *La scienza nuova* a. 1725. edito. Multi postea de ea scripserunt, uti optime e nostris e. g. F. de Schlegel, Hipler, Grupp, Alfr. Nettement.³

¹ Cf. Benigni o. c. p. 51.

² N. Marini, Sul proemio di Diodoro Siculo. Siena 1900.

³ Essai sur la philosophie de l'histoire au point de vue catholique — praefixum editioni Discursus Bossuetii. Paris 1891.

Iam asseritur, philosophicam vel generatim scientificam conceptionem historiae impossibilem esse sine determinismo; quod assertum probare conantur, dum dicunt, sine determinismo nullas iam causas in historia operari, obtinere lusum arbitrarium virium et factorum, sine lege, sine systemate — ita ut possibilis maneat mera descriptio, impossibilis reddatur scientifica tractatio.

Respondemus distingui debere inter scientiam et scientiam, causam et causam.

Aliae sunt scientiae physicae et alia est historia; aliam habent et methodum et alias quaerunt causas.

Scientiae physicae agunt de phaenomenis vi causarum efficientium physica cum necessitate productis; historia agit de eventibus, de actibus humanis sub influxu causarum finalium libere positis.

Verum igitur est, non agi in historia de causis efficientibus mechanicis; falsum vero est, agi sine determinismo de causis nullis.

Verum item est causis finalibus, quibus homo in agendo ducitur, non induci necessitatem; falsum tamen est, iam exinde cessare omnem ordinem, omne systema, omnem regularitatem, omnem legem, omnem conceptionem universalem, fierique omnia arbitraria, singulariter describenda, sub nulla lege universali subsumenda.

E contra verum est, causas finales et ipsas esse iam magna illa principia, secundum quae de eventibus historiae universaliter est iudicandum; porro certum est, et ipsas causas finales accedentesque coëfficientes historiae, quamvis non cum necessitate, tamen cum regularitate quadam agere. Sique haec regularitas propter libertatem arbitrii exceptiones admittit, minime per eas character scientificus et possibilitas philosophicae considerationis historiae tollitur.

